JAC. BORDING

ORATIO
DE OBITV
CHRISTIANI III

1559

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

B. D. III 55. L. N. 422
(Ikke i noget dansk Bibliotek)
35-167
DA BOX

LN 422
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Kay Hølgs eks.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

ANKER KYSTER

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

ORATIO
DE OBITV SERENISSI: PRINCIPIS CHRIſtiani. III. Daniæ & Noruegiæ Regis &c.

Conſcripta à D. Iacobo Bordingo, ipſius medico.

VVITEBERGAE.
ex officina typographica
Viti Creutzer.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Høegs Samling 1970.

ORA
ſereniſsi
NI,III.
recita
bruar

M Agn
lida,
omnium, q
bus fuerunt,
ſolo DOM
ſus, ſtatim i
DOMIN
ſanctificauit:
lato, æneoq
cœperat, con
ſtrinam, vere
uit: & recol
ic leuitis,
furor diſsipa
ad celebran

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

ORATIO DE OBITV ſereniſsimi Principis CHRISTIANI. III. DAniæ & Noruegiæ regis, recitata Othoniæ. XIII. Februarij. Anni. M. D. LIX. cum funeris exequiæ celebrarentur.

MAgna laus eſt Ezechiæ regis Iuda, qua cæterorum regum omnium, qui vllis vnquam temporibus fuerunt, gloriam ſuperauit: quod ſolo DOMINO Deo Iſrael confiſus, ſtatim initio regni ſui, templum DOMINI aperuit, purgauit, & ſanctificauit: cum idolorum cultu ſublato, æneoq́ ſerpente, qui adorari iam cœperat, contrito, veram de Deo doctrinam, veroſq́ cultus Eccleſię reſtituit: & recollectis vndiq́ ſacerdotibus ac leuitis, quos ſuperiorum regum furor diſsiparat, populum vniuerſum ad celebrandum Paſcha conuocauit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

Eſt & illud laudum ipſius non minima pars, quod nemini bellum prior intulit, ſed comparatus tantum ad defenſionem armis, populum ſibi commiſſum aduerſus iniuſtam uim protexit: piam pacem rebus omnibus antepoſuit, eamq; omni argento, quodcunq; uel in ipſius fiſco erat, uel ex templi diuitijs corradi poterat, redimere conatus eſt. In repellendis autem blaſphemis hoſtibus, qui Deum ipſum contumelia afficiebant, labores, bella, & pericula nulla reformidauit: ſed ſolo DOMINO Deo Iſrael fretus, & Prophetæ Eſaiæ voci obtemperans, omnes minas, omneſq; impetus, magno excelſoq; animo ſuſtinuit. Quare mirabili rurſus Dei auxilio adiutus, glorioſas uictorias conſecutus eſt: cæſisq; una nocte ab Angelo DOMINI Aſſyriorum, qui Vrbem Ieroſolymam obſidebant centum octoginta quinq; milibus, inuſitatum omnino trium-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

phum egit, habuitq́ deinceps regnum pace, opibus, rebuſq́ omnibus florentiſsimum.

In aduerſa & deplorata valetudine, cum certam ei mortem Eſaias denunciaſſet, non ſine multis lachrymis ad Deum conuerſus, ab eoq́ ſolo liberationem petens & expectans, illud rurſus impetrauit, ut ad definitum iam uitæ terminum, quindecim anni adijcerentur. Etſi autem de promiſſione Dei, uitaq́ longiore minime dubitaret, nequaquam tamen medica auxilia propterea contempſit, quominus hulcus quo laborabat, cataplaſmate ex ficis curari pateretur.

Verum in ſumma hac fœlicitate & gloria, cum Solis etiam curſus ipſius cauſa retardatus eſſet, uiciſsimq́ regibus iam eſſet admirabilis, animo non nihil elatus, non ea qua debuit modeſtia ingentia hæc Dei beneficia agnouit; promerituſq́ etiam eſt, ut pœnis aliquibus caſtigaretur. Cæte-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

rum cum agnito peccato, rurſus ad DOMINVM confugeret, orando illud obtinuit, ut imminentes iam pœnæ differrentur, ipſeq; publicarum miſeriarum ſpectator non eſſet.

HANC ſanctiſsimi regis hiſtoriam, ſacrarum literarum monumentis copioſe ſatis explicatam, breuiter ac ſummatim ideo recenſui, quia expreſſam atq; omnino ſimilimam imaginem eius nuper uidimus, in optimo rege noſtro CHRISTIANO III. Quem ut propter ſummas eius uirtutes, ſummamq; pietatem, et paternũ erga nos ſtudium, unice dileximus, ita eiuſdem obitu, in magno nunc luctu & mœrore ſumus.

Ideo autem prodeſt uitam eius & mortem, ſempiterna memoria, crebriſq; præconijs celebrari, ut nos pro collatis per ipſum in Eccleſiam et Rempub. beneficijs ardentius Deo gratias agamus: eaq; pie moriendi forma, quam pulcherrimam nobis re-

liquit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

liquit, ipſi quoq; utamur: qui uerò deinceps ſucceſſuri ſunt reges, domeſticum quoddam optimi Principis exemplum habeant, quod imitentur.

Etſi autem uita eius multis excellentibus uirtutibus ornata fuit, nos tamen non omnia ſed ea tantum commemorabimus, quæ cum propoſito Ezechiæ exemplo maxime congruunt: pietatem eius inſignem, paciſq; ac tranquillitatis ſtudium: quæ tandem fœlix ac tranquillus ex hac uita exitus conſecutus eſt. Integram uitæ eius hiſtoriam, bella fœliciter geſta, totumq; politicæ gubernationis curſum deſcribent ij, quibus & res et conſilia eius nota ſunt & ſcribendæ hiſtoriæ cura mandata eſt: nos præcipua dicta eius & facta, quorum proximo hoc biennio in quotidiana conſuetudine auditores & ſpectatores fuimus, queq; proximè mortem eius anteceſſerunt, optimumq; Principem eum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

fuiſſe teſtantur, breui oratione (longam enim luctus noſter non fert) perſequemur.

Primum itaq; ſingularis eius erga Deum pietas, quæ ipſum non nomine tantum, ſed re etiam uera, Chriſtianum fuiſſe declarauit, in eo eluxit maximè, quod ſimulatq; ad regni gubernacula admiſſus eſſet, repurgandæ religionis, & conſtituendarum Eccleſiarum, curam ſuſcepit. Intelligebat certe iam tum pius Princeps, imperia omnia â Deo regi, nec potentiam ullam firmam eſſe aut ſtabilem, quæ diuinis præſidijs non niteretur: Fruſtra cuſtodiri ciuitatem, quam Dominus ipſe non cuſtodit.

Prima igitur hæc eius cura, hoc ſtudium fuit, ut portas aperiret Chriſto: & regna hæc, quibus gubernandis á Deo pręfectus erat, puram Euãgelij doctrinam amplecterentur: ſimulq; extremæ illæ terræ, longiſsimis marium interuallis diſsitæ, Gotlandia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

dia, Islandia, Pharenſes inſulæ & ul-
tima Noruegia, quæ dira ſuperſtitio-
ne iandudum fuerant oppreſſæ, nunc
primum poſt hominum memoriam,
accepto Ieſu CHRiſti Euangelio.
ueræ Eccleſiæ Dei hoſpitia fierent.
Sic itaq; templum Domini aperuit,
idemq; cum Ezechia purgauit & ſan-
ctificauit, cum non ſine magnis labo-
ribus et periculis, multorumq́; poten-
tum in ſe concitatis odijs, inuetera-
tam illam multis iam ſeculis Papiſti-
cam idololatriam, penitus ſuſtulit ac
profligauit: tandemq; quod Pater ip-
ſius (piæ ac fœlicis memoriæ) Fride-
ricus. I. ſerio tentarat, perfecit, ut ue-
ra de Deo doctrina, uariè prius adul-
terata, multiſq; tenebris inuoluta, pu-
ra iã et ſincera Eccleſijs reſtitueretur:
ſimulq; cũ doctrina pij ritus utileſq; ac
decentes ceremoniæ introducerentur

Ne uero facilè rurſus corrumpi
doctrina poſſet, omneſq; intellige-
rent ex quibus illa fontibus manaſſet,

& quibus fundamentis niteretur, Sacra biblia à ſolo Spiritu ſancto profecta, & quamuis neglecta iacerent, ſingulari tamen Dei beneficio ab interitu uindicata, atque inter tot Hæreticorum & hoſtium Chriſti monſtra ad hæc uſque tempora reſeruata, ſumma diligentia ac fide, in Danicam linguam uerti, utque ab omnibus legerentur, typis elegantiſsimis excudi curauit.

Cum porro animaduerteret, diuturnum minimè forè Eccleſię ſtatum, niſi ei ſchola aliqua adiungeretur, quę ueluti ſeminarium quoddam eſſet doctorum hominum, per quos doctrina cœleſtis, cæteræque bonæ artes, continua ſerie, ad omnem poſteritatem propagarentur, Hafnienſem academiam ferè iam collapſam inſtaurauit: eique opima prædia, & uectigalia certa attribuit, ex quibus honeſta ſtipendia profeſſoribus penderentur: & quantum humana prouidentia efficere po-

terat

terat, ea addidit priuilegia, tabuliſq;
& fide publica ita omnia firmauit, ut
ſpes ſit duraturam eſſe, doctrinam &
formam Academiæ ad longam po-
ſteritatem.

Ad hæc autem fœliciter perfici-
enda, conſilio & opera uſus eſt docto
rum hominum: cuiuſmodi etſi non-
nullos in ſua gente haberet, ut D. Pe-
trum Palladium, qui adhuc Danicis
Eccleſijs fœliciter præeſt, D. Iohan-
nem Senningium, D. Chriſtiernum
Morſianum, & alios quoſdam quos
recenſere nihil eſt neceſſe: nihilo mi-
nus tamen è Viteberga peregrinos
etiam accerſiuit, D. Iohannem Pome-
ranum, à quo etiam regium diadema
capiti ſuo imponi uolebat. D. Tile-
mannum Huſenium, D. Iohannem
Macabæum, qui omnes cum à San-
ctiſsimo uiro D. Martino Luthero
inſtituti eſſent, pietate, doctrina, &
iudicij rectitudine excellebant.

Huiuſmodi uirorum frequenti-
am, non exiguum regni ſui decus eſſe
exiſtima-

exiſtimabat : Hafnienſi uerò ſchola ſæpe ita gloriari ſolebat, ut diceret, uix ullum maius ſe regni ſui ornamentum habere : eius præſidio ueram religionem, ueramq́ de Deo doctrinam, in his regionibus hoſce annos aliquot incorruptam manſiſſe: quæ certe iandudum, ſi ſchola nulla fuiſſet, multis modis iterum fuiſſet deprauata.

Nuper Coldingæ, Cimbricæ cherſoneſi oppido, paucis ſeptimanis ante, quam ibidem moreretur, cum labentibus paulatim uiribus, ualetudine eſſet parum firma, extremumq́ uitæ diem imminere ſibi iam ſentiret, nulla alia cura æquè afficiebatur, quã Eccleſiarum ac ſcolarum, quas & bene conſtitui, recteq́ conſtitutas perpetuò manere, optabat. Quare & in ſenatu, & cum Epiſcopis re deliberata, hæc poſtrema decreta fecit. Primum, ut pauperum ratio haberetur, & ſi quæ neglecta adhuc eſſent Xenodochia, ea ut ante omnia inſtaura-

rentur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

rentur. Deinde ut etiam in minoribus oppidis. ludi literarij aperirentur: Ecclesiarum paſtoribus quibus ad neceſſarios ſumptus rei familiaris non ſatis ſuppeteret, ſtipendia augerentur: ſuperintendentibus autem prædia certa aſsignarentur, quorum fructibus honeſtè ali, & egentibus eleemoſinis ſuis ſubuenire poſſent.

Eodem ferè tempore, cum in Academia Hafnienſi, profeſſoris theologi locus adhuc uacaret, ex quo reuerendus uir D. Iohannes Macabæus, lector doctrinæ Eccleſiæ Dei, & regi inprimis carus, nuper defunctus deceſſerat, atq; in eum locum preſtantem uirum ſuccedere rurſus optaret. Primum à M. Henrico à Bruchofen Buſcoducenſe concionatore ſuo, qui tum Hafniæ ęgrotanti uxori ſuæ aderat, ad Victorinũ Strigelium, qui ei antiqua amicitia et conſuetudine coniunctus erat, ſcribi uoluit. Poſtea uero & proprias

ſuas

ſuas literas ad ipſum miſit, quibus liberaliter eum in Daniam uocabat, fueruntq́; hæ ultimæ literæ, extra Daniam miſſæ, ipſius manu ſubſcriptæ & ſignatæ.

Ex his actionibus ſatis apparet, quod fuerit ipſius in tota gubernatione ſtudium, Cum ultimo uitæ tempore de Eccleſia tam fuerit ſollicitus, ut quaſi prudens œconomus, qui futuram aliquando uerbi Dei famem proſpiceret, id procurarit ut doctrinæ cœleſtis ſtudia, ſanctumq́ miniſterium, in his Eccleſijs, quam fieri poſſet diutiſsime, conſeruarentur.

In priuata & domeſtica uitæ eius conſuetudine, quanta pietas, quantaq́; religio ſemper fulſerit, teſtes ſunt ij, qui in conclaui adeſſe ipſi ſolebant, cubicularij, theologi, medici, & aula prope uniuerſa. Nullum intermittebat diem, in quo non horas aliquot, orationi, & lectioni ſacræ tribueret. Mane cum primum experrectus eſſet.

ſet, orabat prolixe & ardenter, nec pri-
us in conclaue quenqꝫ admittebat,
quam orationem ſuam ad Deum ab-
ſoluiſſet. Prius uero quam pranderet,
aut ipſe inſignem aliquem locũ theo-
logicum ex Lutheri ſcriptis clare reci-
tabat, aut, ſi per ualetudinem ſpiritu
& uoce minus ualebat, alterum ali-
quem ex familiaribus recitantem au-
diebat. A cœna, quod tempus alij
compotationibus, luſibus, & aleæ tri-
buunt, ipſe plerunqꝫ hiſtoriæ alicuius
lectioni, & Pſalmis canendis impen-
debat. Publicas uero conciones, can-
tiones, et precationes, pro temporum
& præſentium periculorum ratione,
preſcribebat ipſe, ijſqꝫ quoties per ua-
letudinem poterat, intererat. Concio-
nes audiebat ſumma cum attentione:
ipſe cum toto cœtu canebat, clara
magnaqꝫ uoce, ſacra cœna Domini
ſepe utebatur, exemploqꝫ ſuo cæteros
aulicos, ad ſimilia pietatis officia in-
uitabat.

Quoties.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

Quoties grauiore aliquo morbo infeſtabatur, ita ut pluſculum temporis quieti, & ſomno dare cogeretur, non tam de corporis doloribus & uirium imbecilitate querebatur, quam quod tempus illud ita miſere ſibi periret, ſine ulla ſacrarum rerum lectione, & uſitatis ſuis exercitijs pijs. In ſumma, nulla erat ualetudo corporis tam aduerſa, nullæ de repub: conſultationes, nullæ cauſarum diſceptationes, (quibus tamen bonam magnamq; temporis partem conſumere ſolebat) tam graues, nullæ uoluptates aut deliciæ tam iucundæ, quæ ipſum ab hoc religioſo exercitio auocarent.

In ſummis ſuis occupationibus et grauiſsimis reipub. curis, cum multa ſecum in animo uolueret, ſæpe in pios quoſdam ſermones prorumpebat, ſimulq; grauiter & copioſe diſſerebat, de humani generis miſerijs, de peccato, de furoribus & aſtutia diaboli,

boli,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

boli, de beneficijs IEſu CHRiſti, in quibus quaſi iam acquieſcens, dicendi finem plerumqꝫ faciebat.

De toto miniſterio, & Eccleſiarum conſtitutione, ſæpe & multum cum conſiliarijs ac theologis ſuis colloquebatur & conſultabat. Et quemadmodum Dauidem Regem, regni gloria & potentia, multiſqꝫ præclaris uictorijs inſignem, non puduit eſſe in cœtu ſacerdotum & leuitarum pſallentium & celebrantium Deum, ita certe noſter hic Rex, piorum & Doctorum hominum doctrinam, congreſſus, & colloquia, pluris faciebat, quam reliquum illum externum regni ſui ſplendorem, ac maieſtatem. Verum hæc de pietate ipſius in repurganda uera de Deo doctrina, in ueris cultibus inſtaurandis, in conſeruando miniſterio, deniqꝫ in tota uitæ actione & aſsidua Dei inuocatione, dicta ſufficiant.

De humanitate, comitate, & li-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

beralitate ipſius erga omnes cum quibus erat, nihil dico: etſi enim hæ uirtutes ſuam quoq; laudem habent, tamen quia earum fructus ad quoſdam magis quam ad uniuerſam rempub. pertinent, & quia omnibus ſatis notæ iam ſunt, ijs prætermiſsis, de pacis ſtudio, quod certe præcipuus erat politicæ ipſius ſapientiæ neruus, aliquid dicam.

Quemadmodum igitur de Ezechia commemorauimus, nullum bellum temere ipſum unquam mouiſſe, pacem potius data pecunia redimere uoluiſſe, neceſſaria tamen pericula, quæ omnino pro Eccleſiæ & Patriæ defenſione ſuſcipienda erant nunquam defugiſſe, ita ſane noſter hic Rex, primum quidem cum nulla ambitione, nulla regnandi cupiditate, ſed mirabili Dei conſilio, Rex declaratus eſſet, regni hoſtibus deuictis, belli finem pacem eſſe ſtatuit, quam poſtea ſemper ita amauit & coluit, ut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

ab eo uſq; tempore, nullas militares copias Dania uiderit.

Et quanquam amplificandi regni non contemnendæ occaſiones, aliquoties ipſi oſtenderentur, ut nuper etiam, cum Liuonicæ aliquot ciuitates, ſe in huius regis noſtri fidem ac poteſtatem conferre, certis conditionibus paratæ eſſent, etſi miſeram eorum fortunam ſubleuare conatus eſt, nihil tamen noui tentare uoluit, ne ſe bello non neceſſario implicaret, & diuturnam regni ſui pacem in hoc ultimo uitæ actu labefactaret. Multo enim pulchrius ac laudabilius eſſe exiſtimabat, patriam in pace continere, eamq; religione, legibus, moribus, & iuſticia ornare, quam longe lateq; propagatis finibus, alienos populos debellare, imperioq; ſuo ſubijcere.

Sæpe cum de Principum iſtorum, qui his proximis annis uniuerſam pene Europam bellis perturbarunt, diſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

ſidijs loqueretur, belli calamitates & ærumnas, direptiones, incendia, cædes, fugas, & ſtupra nefanda, non ſine magna commiſeratione commemorabat, grauiterq; ingemiſcebat, q̊d tot malorum cauſa eſſet bellum, cum belli plerumq; cauſa nulla eſſet, pręterquam una miſera ambitio, uel ut ipſe dicere ſolebat, manipulus unus ſuperbiæ. Ein hand foll hoffart.

Sæpe exclamantem audiuimus. O quam beatæ eſſent reſpub: quam Principes ipſi beati, ſi rebus ſuis contenti, concordiam, pacem, & iuſticiam colerent: eaq; potentia qua á Deo armati ſunt, ad communem hominū perniciem non abuterentur: nunc ipſi & ſibi, & ſubditis ſuis, magnis laboribus & periculis, ingentes calamitates accerſunt, cum in pace florere poſſent, opibus & rerum omnium copia, uitamq; degere iucundiſsimam ac plane diuinam, cum Angelorum uita comparandam. Has uoces, quibus ſatis declarabat, quam eſſet pacis

&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

& tranquillitatis amans, crebró ex ipſo audiuimus, unde colligi facilè poteſt, pro ſumma uirtute politica eum habuiſſe ſtudium pacis, quo illud etiam conſecutus eſt, ut diuturnæ pacis cuſtos, merito dici ac prædicari poſſit.

Regnauit annos XXIII. Regnare cœpit anno ætatis ſuæ, XXXII. Natus autem eſt anno M. D. III. Menſe Auguſto, paulo poſt quam Ferdinandus Cæſar, qui nunc rerum in Germania potitur, natus eſſet. Obijt nuper calend. Ianuarij. Fuit itaq; uniuerſum uitæ eius curriculum, annorum LV, & aliquot menſium. Ezechiam regem cum quo ipſum comparauimus, uno tantum anno uitę ſuperauit, etſi regni ipſius tempus breuius aliquanto fuerit.

Verum quod Ezechiæ accidit, ut XV annis antequam moreretur, in grauem & lethalem morbum incideret, ex quo tamen ſingulari Dei auxi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

ilio, cum ipſum ſerio inuocaret, reſti-
tueretur, & XV annorum ſpatio ui-
ta ei prorogaretur, ſimile omnino no
ſtro huic regi accidiſſe fatendum eſt.
Anni nunc ſunt XII, cum Lundæ op
pido Schaniæ, deplorata omnino ua-
letudine eſſet. Cum uero in rebus hu-
manis auxilij nihil appareret, medi-
ciꝗ phyſicis ſuis remedijs parum ef-
ficere ſe profiterentur, ibi tum opti-
mum regem non alia ratione ſeruatũ
fuiſſe conſtat, quam ſuis & Eccleſiæ
precibus, quibus motus Deus,
uitam ei in hoc uſqꝫ tempus produ-
xit. Firmam ipſius in Deum fiduciam
declarant uſitata eius ſymbola, quibus
& conſolari ſe, & ædificia ſua ornare
ſolebat.

Zu Gott mein troſt allein.
Sonſt andern kein.
Ach Gott ſchaff deinen willen.

Etſi autem ſolius Dei auxilio nite-
retur, uitamqꝫ & ſalutem omnem ei
uni

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

uni acceptam referret, nihilominus tamen interea medicos etiam in honore habebat, & remedijs ab ipſis monſtratis, non inuitus utebatur. Verum cum parum ea interdum prodeſſent, & ipſe in lecto æger decumberet, iocari nonnunquam ita ſolebat. Vbi nunc ſumus (inquit ſubridens) nos, qui potentiſsimi, & inuictiſsimi ſalutamur? ubi nunc potentia, & imperium noſtrum? cum ab una febricula ita domamur. Deinde ut ſæpe alias cum bene haberet, longius oratione digreſſus, humanarum calamitatum cauſas commemorabat, edebatq́ꝫ præclaras confeſsiones, de corrupta natura, de contumacia carnis aduerſus ſpiritum, de nimis imperfecta obedientia ſua. Quid eſt (inquit) quod tantopere ſuperbimus? cum omni humana iuſticia quam maxime ornati ſumus, quid tum adhuc aliud ad Deum accedentes, adferimus, quam turpem peccati maſſam? Quare ad filium

Dei confugiamus, amplectamur iuſticiam Ieſu Chriſti, quæ nos perducat ad uitam æternam. Huiuſmodi confeſsionibus & adhortationibus, ipſe ſe confirmabat, & tanquam pius Pater, erudiebat domeſticos ſuos, ut qui audirent magis interdum ijs mouerentur, quam publicis Eccleſiæ concionibus.

Errata & imbecillitates ſuas minime diſsimulabat, atq; aperte confitebatur, dignum ſe eſſe. qui pœnas etiam daret. Sed orabat cum Ezechia Deum, ne pro meritis ſuis, in ipſum animaduerteret, pœnas potius auerteret, & pacem daret in diebus ſuis. Hactenus quæ uita eius fuerit, quæ in publica gubernatione, & domeſtica conſuetudine uirtutes, audiuiſtis, Reliquum nunc eſt, ut de obitu eius, pauca quedam dicamus, qui certe uitæ integerrime actæ plane conſentaneus fuit.

Viceſima tertia die Decembris,

biduo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

biduo ante diem feſtum, qui natalis eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, mane, cum ad ipſum ueniſſet M. Paulus Nouiomagus, quo concionatore iam annos fere quindecim uſus erat, ſciſcitari ſtatim ex eo cœpit, qua ualetudine Pater ipſius eſſet, nam & is grauiter eodem tempore ægrotabat, quo etiã morbo uno die ante, quam Rex è uita diſcederet, extinctus eſt. Verum M. Paulus cum dato reſponſo, uiciſsim regem interrogaret. ecquid ipſe ualeret, dicam (inquit) fuit iam apud me, qui me animo bono eſſe iuſsit, mihiq; ſpem fecit, fore, ut breui cum hoc nouo anno, mea quoq; ualetudo renouetur, ac tum ſecuturam uitam longiorem. Quod cum una audiret D. Cornelius medicus, qui tum forte adſtabat, conijcio (inquit) ſomnium fuiſſe, nequaquam (inquit rex) uanum aut ſomnio ſimile fuit, nam certo certius ita fore, mihi affirmauit. Quis autem aut cuias

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

ille fuiſſet, à quo ſignificatum ſibi id fuiſſe diceret, neq; interrogabat quiſquam neq; ipſe amplius quicquam addebat, uerum ut euentus poſtea docuit, minime dubitamus, quin diuinitus oraculo per quietem ipſi oblato, de tempore quo ad cœleſtem uitam emigraturus eſſet, admonitus fuerit. Quod ſi ſomnium fuit, ſimile omnino illud fuiſſe ſtatuo ſomnijs Ioſeph, Nabuchodonoſor, Magorum qui de rebus futuris, & ad Eccleſiam pertinentibus, per ſomnium ab angelo edocti fuerunt. Paulo poſt habita eſt à M. Paulo concio, de S. Thoma, qua ille mirifice afficiebatur.

Reliquum uero tempus, quo conciones nullas audiebat, tribuebat ſacrorum librorum lectionibus, Precipue autem horum ſcriptorum lectione delectabatur, Commentarij Lutheri ad Galatas maximeq; illius particulæ, quæ eſt in illum locum primi capitis, Chriſtus dedit ſemetipſum

pro

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

pro peccatis noſtris, ut eriperet nos
de pręſenti ſeculo nequam, item libel
li Iuſti Menij, de præparatione ad
mortem, quem quotidie in manibus
habebat, & iter faciens circumfere-
bat, item libri Iohannis Vigandi pa-
ſtoris Magdeburgenſis, cui titulus
Heubt artickel Chriſtlicher lehr.
Hunc librum non ita pridem ipſi mi-
ſerat Iulius Henrici Ducis Brunſuicẽ-
ſis filius, Tantopere autem eo dele-
ctabatur ut de pluribus exemplaribus
aduehendis, mandata daret. & de uer
tendo in linguam Danicam cogita-
ret,

In ferijs natalitijs, ingraueſcente
paulatim morbo, cum lecto iam ita
affixus eſſet, uix ut ſe mouere poſſet,
præter ordinarias conciones, quas au
diebat, nihil legebat ipſe, ut facere pri
us ſolitus fuerat, ſed conciones illas,
quæ in Lutheri Poſtilla extant de pu
ero Ieſu, recitari ſibi iubebat, eaſq; om
nes audiebat attente magnaq; cum
animi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

animi alacritate. Quanquam autem ipſe tum cœna Domini, qua octiduo ante uſus fuerat, abſtinebat, tamen cubicularijs ſuis eam in conclaui ſuo adminiſtrari, magna cum uoluptate cernebat.

Pridie quam moreretur, quæ ultima dies erat menſis Decembris, cū de morte patris M. Pauli, de quo ſolicite ſemper percunctatus fuerat, nunciatum eſſet, bene eſt (inquit) cras ſequar.

Calendis igitur Ianuarij, à quo die nouum annum nunc auſpicamur, memor (credo) quod ſignificatum ei eſſet, hoc die meliorem eius ualetudinem fore, & uitam inde ſecuturam lōgiorem, quaſi exire iam ex hoc exilio geſtiens, atq; ad cœleſte illud domicilium properans, benè mane ſe ad moriendum parare cœpit, ac primum prælegi ſibi iuſsit locum Pauli Gal. 1. Chriſtus ſemetipſum dedit pro peccatis noſtris &c. Cumq; à M.

Paulo

Paulo, qui inter primos ipſum adibat de patris ipſius obitu quædam ſciſcitatus eſſet, hodie (inquit) ipſum ſequar tu ut patri adfuiſti, ita mihi fac ut adſis. Mox reliquis abire iuſsis, ſolum Paulum retinet, ibiq; poſt apertam, plenam, rotundam, planeq; Chriſtiano homine dignam confeſſionem, rurſus ipſe uerbo Euangelij ita ſe erigebat ac comfirmabat, ut Paulus qui ipſum audiebat, arbitraretur ſe multo plus ex ipſo quam ipſum ex ſe conſolationis cepiſſe, Nihilominus tamen ut miniſterij etiam rationem haberet, præſentiſq; miniſtri uoce magis confirmaretur, uiciſsim ex ipſo audiuit certam, pijſq; mentibus gratam de remiſsione peccatorum per Ieſum Criſtum, ſententiam, cui accedere etiam uolebat, pignus illud, corporis et ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſius teſtamento, ad conſeruandam, ac celebrandam beneficiorum ipſius memoriam, & uacillantem fi-

dem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

dem noſtram roborandam, nobis re-
lictum, Verum roganti Paulo, mox
ne, an poſt concionem, cœnam
Domini, ſibi adminiſtrari uellet, ſatis
inquit, mature fiet poſt concionem
modo ne proliſia nimis ea fuerit, Sen
tio enim parum temporis nobis ſuper
eſſe.

Habita igitur concione de puero
circumciſo, cui à Deo ipſo, priuſq; in
utero naſceretur, nomen inditum e-
rat, ut Ieſus diceretur, idq; muneris aſ-
ſignatum, ut ſaluos faceret peccato-
res, cœnaq; Domini adminiſtrata, cũ
Paulus iam rurſus propius accedens,
prȩcipua concionis capita ſummatim
repeteret, tum lætus ille, & alacris,
complicatis manibus ſuſpirans, mag-
noq; deſiderio cœleſtis patriæ oculos
attollens, gratias agebat Deo pro be-
neficijs omnibus ſibi per Ieſum Chri-
ſtum collatis, pro liberatione à pec-
cato, morte, & mortis terroribus.

Interea regina coniunx, ſacris
in

in templo peractis, ingreditur, ſed prę fletu & mœrore maximo, proloqui nihil potuit, unam tantum hanc uocē edebat, O mein Herr/mein herr. Ea igitur aliquantiſper rurſus digreſſa, cum quidam catenas aureas proferret, quas antea hoſpitibus quibuſdam pro apophoretis donari iuſſerat, aufer, (inquit) aufer, quorſum nunc hæc ſtercora?

Reuerſa poſtea regina, ad lectū mœſta tacitaq; conſedit, ibi tum ambo Cancellarij, D. Iohannes Friſius, & Andreas Barby, regem conueniunt, qui graui & longa oratione eos compellans, poſtrema hæc ipſis mandata dedit. Quoniam inſtare ſibi iam uiderent extremum uitæ tempus ut patriam, (cui poſthac ipſe conſulere amplius non poſſet) ſibi commendatam eſſe putarent, ad eius ſalutem, omnia ſua conſilia & actiones dirigerent. Inprimis uero, ut quemadmodum ipſe feciſſet, id ope-

ram

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

ram darent ut uera religio, incorrupta Eccleſiæ doctrina, & quæcunq; ad uerum Dei cultum pertinent, ſalua integraq; conſeruarentur, quæ uero de Eccleſijs, Academia, ſcholis, uerbi miniſtris, Epiſcopis, pauperibus, nuper decreta feciſſet, ea ut rata et firma perpetuo manerent. Deinde ut cariſsimam coniugem ſuam et liberos minores, qui nondum attributas partes hereditates haberent, tuerentur, ne ad calamitatem aliquam, ipſis, genereq; ipſorum indignam, re digerentur. Friderico filio, eam quam olim dediſſent, fidem pręſtarent, eaq; deinceps ipſi conſilia darent, quæ & ipſis glorioſa, & reipub. futura eſſet ſalutaria, cauerentq; ne ſubditis aut patriæ, uis ulla aut iniuria fieret, quemadmodum earum rerum omnium rationem reddituros ſe Deo aliquando arbitrarentur. Poſtremo ut miniſtrorum ſuorum quorum quotidiana opera uſus erat(in quibus nominatim

meminit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

meminit M. Pauli) ratio haberetur, ne ipſos clientelæ ſuæ unquam pœniteret, Sed pro pręſtitis regi officijs, uberiorem fructum percepiſſe ſe merito lætari poſſent. Poſtea omnibus qui tum aderant, nobilibus, cubicularijs, medicis, cæteriſq; miniſtris, mœſtis ac lachrymantibus, per D. Andream Barby, qui tamen ipſe præ nimio fletu uix fari poterat gratias egit: moxq; ſingulis dextram porrexit ſuaq; uoce ualedixit.

Interea regina quæ præ mœrore ſe paululum remouerat, reuocatur: quam cum ſummo dolore miſere affectam atq; afflictam uideret: Mea coniunx (inquit) eſto animo bono: Dei uolũtati obtemperemus, liberos noſtros in timore Dei educa: & Fridericum noſtrum rectis conſilijs iuua.

Hoc dicto, regina, ut erat animo perturbato, in conclaue ſuum, quod in propinquo erat rurſus diſcedit: & communes liberos, Iohannem, &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

Dorotheam filiam, ad patrem mittit:
hi cum ſingultibus & lachrymis, re-
gem patrem adeuntes, ante lectum in
genua procumbũt: et offenſę ſi quam
commiſerint, culpam deprecantur.
Rex uero protenſa dextra, capitibusq;
que eorum impoſita, ſalutem & be-
nedictionem Dei, per Ieſum Chri-
ſtum omnis benedictionis autorem,
ipſis precatur: ac mox dimittit.

Pueros ſubſecuta mater regina,
multiſq; perfuſa lachrymis, redit rur-
ſus, & ſi qua unquam uel minima re
dominum ſuum offendiſſet, ueniam
petit, cui mox ille, mea Dorothea
(inquit) iandudum iſtorum omnium
nihil meminimus: atq; ita in mutuo
complexu aliquãdiu hærentes, uterq;
alteri ualedixit.

Erat iam diei tempus meridia-
num: reliquas igitur quatuor horas,
quibus ſpiritum ad huc ducebat, pre-
cationibus traducebat. Si quis forte
extenuando mortis periculo, & lon-
gioris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

gioris uitæ ſpe, conſolari ipſum uelle
uidebatur, eum & vultu & manu re-
pellebat. Simeonis canticum, Mit
fried vnd freud/item/Mitten wir
im leben ſind. Inchoabat ipſe, unaq;
cum alijs mœrentibus & eiulantibus,
canebat lætus. Cum à M. Paulo pe-
teret ut funebre illud inchoaret, Nu
laſt vns den leib begraben. iſq;
modeſtè recuſaret, quod importuna
adhuc ea cantio eſſe uideretur, mi
Paule(inquit)canatur mihi: me nunc
ea quam maxime delectat. His ad-
iũgebat & illud, Wir gleuben all an
einen Gott. Poſtremo repeti rurſus
uoluit Simeonis canticum, quod pri-
mum cecinerat, atq; in eo tandem ca-
nendi finem fecit.

Scripturæ loca, quibus theologi
qui aderant, M. Paulus, & M. An-
dreas Martinus, eum conſolabantur,
hæc fere erant, Sic Deus dilexit mun-
dum, item quinquageſimum tertium
caput Eſaiæ, & dicta quædam conſo-

latoria ex prima Epiſtola Iohannis. Sed ille ſuas quaſdam peculiares ſen-tentias, quas antea ſemper in ore atq; animo habere ſolebat, ultro ſibi ipſi tum ſuggerebat, ut illud Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, item, Hæc eſt uita æterna, ut agno-ſcāt te uerum Deum, et quem miſiſti IEſum Chriſtum. Item, Ego ſum uia ueritas, & uita. His ultro ſe erigebat ac ſuſtentabat, & illuſtri oratione de-clarabat ſe firma fide ea amplecti. Singulis dictis huiuſmodi quandam interpretationem addebat, CHriſtus clamat (inquit) Venite ad me omnes &c. iam uenio ad ipſum, onuſtus pec catis meis: facio, quod me facere iu-bet, nec dubito, quin uiciſsim quod ſe facturum promittit, ſit pręſtaturus, mihiq; deletis morte ſua peccatis me-is, requiem breui daturus ſit in uita ę-terna. Illud Chriſti dictum, Hæc eſt uita æterna &c. ita explicabat, omni-no (inquit) eſt hæc, & manet uita æ-

terna

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

terna, Chriſtus IEſus, ubi autem hic
nõ agnoſcitur, quid reliquum ibi eſt
aliud, quam mors & miſeria æterna,
Poſtea, Si Chriſtus(inquit)uia eſt, e-
go qui Chriſto adhæreo. á recta regia
uia aberrare non poſſum.

Cæterum Cum. M. Paulo pater-
num funus curandum eſſet, & diſce-
dẽdi paululum ueniam peteret, facile
cõceſsit, ne poſtremo hoc pietatis of-
ficio, parenti ſuo deeſſet, orabat tamẽ,
ut quam primum poſſet, reuertere-
tur. Interea aderat ei M. Andreas
Martinus, cui id primum queſtus eſt,
q̊d fidei ſuę motus ſentiret imbecilli-
ores, itaq; petebat, ut una cum cęteris
Spiritus ſancti auxilium imploraret,
quo ad extremũ uſq; firmus cõſtanſq;
in inuocatione filij Dei, perſiſte-
re poſſet, Poſtea ipſum, prędicantem
Ieſu Chriſti beneficia, attentè audie-
bat, aliquoties illud ſubijciens, uera
hęc eſſe agnoſco, atq; in ijs uiuens, et
moriens acquieſcere uolo.

Rediens autem M. Paulus inuenit

eũ multó quam ante imbecilliorem, & uiribus iam penè fractum, mente tamen adhuc, et loquela conſtantem, orſuſq; à dicto Petri in actis, de domino Ieſu Prophetæ omnes teſtantur, ſaluos fieri omnes qui credunt in nomine eius, breuiter recenſuit pręcipua omnia illa teſtimonia ex quibus ſingularem aliquam conſolationem cepiſſe eum prius animaduerterat, ut ſententias conſolatorias ex Epiſtola Iohannis, hiſtoriam Euangelicam de uocato ex telonio Matthæo, cum nihil tale cogitaret, ne dum meritus eſſet, ut à Chriſto uocaretur, item parabolam Chriſti de oue errante, à Paſtore quæſita, ipſiuſq; humeris ad gregem reducta.

Quæ cum pluribus uerbis, & mira quadam ſuauiloquentia rurſus illuſtraſſet, ſubiunxit tandem patheticum illum locum Pauli. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? qui etiam proprio filio ſuo nõ pepercit, ſed pro no-

bis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

bis omnibus tradidit illum, quis accu
ſabit electos Dei ? Quis eſt qui con-
demnet ? &c. Poſtremo & uerſus a-
liquot inſigniores citabat ex Pſalmo
103. Non ſecundum peccata noſtra
fecit nobis, neq; ſecundum iniquita-
tes noſtras retribuit nobis, Quantum
diſtat ortus ab occaſu, ita longe fecit
à nobis iniquitates noſtas &c. cum il-
le uoce iam deficiente, ſed oculis, ani-
moq; intentus ac geſtiens, ſuauiter tã
dem ac placide. quaſi ſomno ſolutus
expirauit, dum uerſus ille recitaretur.
Sicut pater miſeretur filiorum &c.

Ita rex optimus ac pręſtantiſsimus,
huius ætatis noſtræ Ezechias, regũq;
omnium qui nunc ſunt, præcipuum
decus et gloria, ex hac miſera et mor-
tali uita, ad Deũ & ſanctorum omniũ
beatiſsimum cœtum, translatus eſt: tri
ſtemq; & acerbum luctum, magnũq;
ſui deſiderium, nobis reliquit, ipſe au-
tem fruitur dulci conſuetudine cœle-
ſtis Eccleſię, uiuitq; cũ Ezechia, Da-

uide

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

uide, Ioſia, Iohanne Friderico, & ſi-
milibus pijs Principibus. Cuiuſmodi
cum omnibus temporibus paucißmi
ſemper extiterint, & mediocriter eti-
am bonorum obitus magnæ calami-
tates plerunque ſecutæ ſint, oremus cū
Ezechia Deum, ut det pacem in die-
bus noſtris, pœnas mitiget, publicos
motus & bella compeſcat, et illuſtriſ-
ſimi Principis noſtri Friderici, regis
deſignati mentem ſpiritu ſuo ſancto
illuſtret, pia conſilia et conatus iuuet,
paternaſque uirtutes ita in eo cōfirmet,
ut earum magis hæreditatem, quam
regni partes ſuſcepiſſe uideatur: to-
tam denique gubernationem eius ita
fortunet, ut & religio, & iuſticia, &
morum diſciplina ſancta incorrupta-
que, in hoc regno ſeruetur, æternoque
Deo, æterna Eccleſia, ex his populis,
perpetua Euangelij prædicatione
colligatur, per IEſum Chriſtum
Dominum noſtrum.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 422 8°